

7
7
Q U Æ S T I O

M E D I C A,

E A Q U E T H E R A P E U T I C A,

S U B H A C V E R B O R U M S E R I E,

*AN Cancro mammario ulcerato inextirpabili
pro omni alimento lac?*

A U T O R E C A R O L O C L A R E T,
Narbonensi, Artium Liberalium Magis-
tro, & Medicinæ Studioſo, quam ad-
juvante Supernâ Sapientiâ, & aulpice
Dei-Parâ, propugnabit in Auguſtiſſimo
Monſpeliensî Apollinis Fano, ab hora
octava ad meridiem, die 4^a. menſis
Martii, anno Domini 1749.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.



M O N S P E L I I,

Apud JOANNEM MARTEL, Regis &
Univerſitatis Typographum. 1749.



R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustriſſimus D. D. FRANCISCU
CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex
Regi à Secretioribus Conſiliis, Archiatrorum
Comes.

DISPUTATURI.

- R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis
Medicus perpetuò Ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.


DOCTORES ORDINARI.

- D. HUGO GOURRAIGNE.
D. CLAUDIUS CHAPTAL.
D. CAROLUS SERANE.
D. THOMAS FITZ-MAURICE.
D. HONORATUS PETIOT.
D. JACOBUS FARJON.
D. FRANCISCUS LAMURE.
D. FRANCISCUS IMBERT.





B. f.



ILLUSTRISSIMO
NOBILISSIMOQUE VIRO D.D.
JOANNI-ANTONIO
DUVIDAL,
DOMINO
DE MONTFERRIER
ET BAILLARGUET,
PROVINCIAE OCCITANÆ
Procuratori generali integerrimo.

*H*OC tenuitatis meæ, qualecumque sit mu-
nus, in sui frontispicio tuo nomine insigni-
tum, VIR ILLUSTRISIME, quantum tuæ circæ
me benevolentia non dubia præ se fert indicia,
A ij

tantum temeritate me arguit. At licet in tenui labor, mihi dant animos præclara illæ dotes, quibus omnium corda potenter allicis. Et sane sive tuos intuear atticis salibus conspersos ingenii fœtus, quibus Comitiorum Occitanæ plausus non semel rapuisti, sive tuam morum comitatem & elegantiam, quas admirari est facile, per arduum imitari, seu tuas in arte phœbea ingentes cognitionum suppellectiles, seu demum intuear humanitatem illam tibi per familiarem & propriam, quâ plurimi ex angusta & exili re pervenerunt ad rem satis lautam & pinguem & pennas extulerunt majores nido, undique mihi in difficili & lubrico loco alioquin versanti uberrima securitatis seges luxuriat. Exultabundus miror (& quis cum eodem exultationis sensu mecum non miretur?) quidquid habet acutius Academia, Philosophia sapientius, intricatius mathesis, animi sublimitatem cum nobili candore, cum illecebrosa mansuetudine ingenium veris opibus instructum, honores cum nobili popularitate, cum laudis neglectu præclarissimas dotes in te uno tamquam pacto fœdere consociari.

Hæc sunt, VIR NOBILISSIME, quæ non ego

solus, sed tota propalat Occitaniae Provincia,
cujus totum Vicariis humeris pondus sustines,
& sicut hujus contritæ mærores ad pedes Regis
multòties defferre, ita & hujus exultantis læ-
titiã in medium primus proferre tibi gloriæ
fore putavisti. Huc cadit feliciter tempus illud,
quo Magnum RICHELIIUM, Galliaë Marescal-
lum & Ducem, regni nostri tutelare Numen,
Genuæ Senatorem & Tutorem, ab Hoste victo
reducem & oleæ ramum Pacis prænuntium re-
ferentem, in sinu suo ovans excepit Monspe-
lium: quantã tunc ex bono publico afficereris
latitiã nemo non vidit. Vidimus (& hæc olim
meminisse juvabit,) quantã te vicissim bene-
volentia prosequeretur, quibus te studiis reda-
maret, ita ut tam tibi ab illo, quàm illi à
REGE nostro dilectissimo honores ultrà modum
adhibitos diceremus, si præstantissima dotes
ultrà modum ornari honestarique possent.

Perge igitur, VIR PRÆSTANTISSIME, perge
quo cœpisti pede tuã in Patriam charitate, tuã
ergà Provinciam sollicitudine, tuis ergà regnum
benemeritis tuum inserere nomen Famæ & in
intimio rem, si fieri possit, hujus præcelsi ac præ-
potentis Viri familiaritatem vocari: Nobilibus

placuisse Viris non ultima laus est. Mihi quidem satis erit summam votorum adepto, si quantum pro tua humanitate grato sum animo, tantum tibi fore munusculo gratus. Benigno vultu, velim, hoc accipe tamquam non dubia penitissimæ reverentiæ signa, quibus te devotissimè complectitur,

VIR ILLUSTRISIME,

Addictissimus & obsequentissimus
Servus & Cliens,
CAROLUS CLARET.

Dabam Monspelii
Kal. Mart.
ann. 1749.



QUÆSTIO MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA,

*An Cancro mammario ulcerato inextirpabili
pro omni alimento lac?*

DEFINITIO.



UM juxtà omnes ferè Medicos
omnis Cancer fuerit primitus
Skirrhus, præcognitâ semel Skir-
rhi definitione facilè patebit,
nullum interesse discrimen inter
Cancrum occultum & Skirrhum,
nisi, quod affert dolor lancinans, Cancri essen-
tialiter comes, cujus omninò expers est Skirrhus.
Undè definiri potest Cancer tumor præternatu-
ralis, inflammatorius, circumscriptus, renitens
& essentialiter durus, dolore lancinanti stipa-

tus, colore modò pallido, modò livido, plumbeo, nigro, ulceratus, vel non ulceratus, à limpha diversimodè concreta, stagnante & corrupta exortus, cujus venæ varicosæ hinc & indè diffusæ Cancris piscis formam exhibent. Cum circumscriptione caret, tumoris cancrofi nomen obtinet.

D I F F E R E N T I Æ.

Dividitur Cancer in incipientem & confirmatum, occultum & ulceratum, benignum & malignum.

Dum Skirrhum naturâ suâ tumorem durum & indolentem aggrediuntur titillationis, pruritus, caloris & doloris in gradu remissiori sensus, jam non hunc Skirrhii nomine donabis, sed Skirrhum cancrelcentem, seu Cancrum incipientem vocaveris. Dum autem dolor crevit eundo & propioribus spatiis urget ægrum vel continuò lancinat, Cancer est confirmatus.

Occultus vocatur licet pro malis ægrotantis rebus evidentior, cum salvis integumentorum involucris nullam foris dat Tragediæ scenam: ulceratus, seu manifestus, cum eò malignitatis devenit, ut erosio integumentis sanies exeat.

Benignus demùm dùm angusto concluditur circulo, dùm recens, liber seu parti altis non adhærens radicibus, majoribus vasis non intertextus, à causa productus externa, solitarius, in corpore ephebo & benè se habente & levioribus
urgetur

urgetur symptomatis; malignus dùm contrarium accidit, dùm gravissima sibi adjuncta habet symptomata, pravâ humorum diatesi & viru quopiam fovetur.

CAUSÆ.

Causa Canceri proxima est materia Skirrhî, sive limphatica, sive lactea, sive sebacea, rarefacta & summum acrimoniæ gradum adepta. Indè mali labe, exindè hujus humani generis crucis & flagelli omnia emergunt phœnomena.

Causæ remotæ sunt, quidquid valet hanc materiam rarefacere, acrem reddere, ut febris diuturna, lenta, hæmorroidum aut menstruorum fluxûs, aut evacuationis cujusvis solitæ suppressio, affectus animi tristes, gravia animi pathemata, cibi calidi, salsi & piperati, usus liquorum ardentium, exercitia violenta, vigiliæ diutiùs protractæ, catharticoꝝ nimius usus, constitutio limphæ hæreditaria, viru venereum & scrophulosum, & demùm quæcumque Skirrhum producere valent.

Quotiès causæ illæ universales totam humorum massam rarefaciendo, Skirrhum ad cancrendum dispositum invadent, totiès cancret. Skirrhus.

Dantur & aliæ causæ particulares, quas topicas vocabimus, utpote quæ parti skirrhosæ applicatæ possint ansam Cancro suppeditare po-

fitâ tamen dispositione, quales sunt corpora contudentia, comprimantia, irritantia, repercussiva, resolventia imprudenti manu parti skirrhosæ applicata.

1°. Constat ex Phisicis quòd quò magis corpora condensata fuerint, eò validius cessante condensationis causâ rarefient.

2°. Quò plùs acrimoniæ habebunt liquores rarefacti, eò efficacius corrodent vasa.

3°. Constat, quòd calor præternaturalis in certo quodam gradu putrefactionem in partibus mollibus non factam incipiat, aut inceptam adaugeat. Non hîc loquimur de calore illo ad talem gradum evecto, ut omne humidum dissipare possit; tunc enim fieret totiûs exsiccatio putrefactionem semper impediens. Agitur hîc solùm de eo caloris gradu, quem difficile est determinare, cui tribuit causam putrefactionis Galenus.

Supponimus semper in S'irro dispositionem ad canrescendum & in materia skirrofa dispositionem ad rareficientiam: alioquin causæ illæ, quas jam jam enumeravimus, sive una ex his; sive plures simul agant, nunquam Cancrum creare poterunt. Ex adauctis calore, rarefactione, acrimoniâ, varios deducemus Cancri progressus.

Concretiones skirrhosæ in minimis vasis lymphaticis vicina vasa comprimunt, quæ difficilius liquores contenti permeant; arteriolæ lim-

phaticæ liberæ undequàque compressæ aut distentæ uberiori fluidi copiâ appellente inertius agitant fluidum contentum, quod sensim & sine sensu concrevit. Si materiam hanc Skirrhi concretam & stagnantem in vasis lymphaticis, sanguis cordis & arteriarum viribus pulsus, majori impetu à tergo urgeat, distendentur magis ac magis vasa propè loca infarcta, dùm vasa sanguifera libera in has concretiones velut in corpus saxeam impingentia, tendentur magis ac magis, irritabuntur, tenuiora evadent, unde doloris sensus mitius sæviens. Longius grassabitur malum. Adaucto magis ac magis humorum motu progressionis & expansionis, vasa lymphatica infarcta, ad quorum radices appellit sanguis, motui huic amplius resistere nescia dilacerabuntur; undè simul eveniet, ut dilacerata vasa lymphatica lympham, sanguinea, si quæ rupta fuerint, sanguinem extravasari sinant. Extravasatus humor emollit, attenuat, dividit concretiones; materia concretionum emollita, attenuata, divisa, expanditur, rarefcit; in parte stagnans acrimoniam summam calore loci contrahit; tunc fila nervea, quæ antea velut in substantia ossea undequàque compressa, non poterant tendi, vibrari, quod in parte skirrhusa doloris sensum prohibebat, cessante compressionis causâ facta libera, à præsentè acrimonia succutiuntur, irregulariter vibrantur, eroduntur, undè dolor major, aut minor, pro ut ma-

ior, aut minor partis calor, materiæ acrimonia, & rarefientia.

Ex sola manûs applicatione dignoscitur calor; acrimonia probatur eo quòd multoties acciderit, ut lintea sanie & ichore Cancri imbuta corrosa fuerint, perindè ac aquâ forti fuissent tacta. Rarefientia deducitur ex intumescencia Cancri. Ad hanc confirmandam, si quis inficias iret, accedere possent experientiæ, quas omnes in manu habent. Fabri ferrarii non commune cœmentum ex calce & arena, sed gypsum adhibent dùm cardines immotos & inconcussos securiùs infigi volunt. Materia gypsea proprietatem rarefiscendi habet, undè æqualiter undequàque nitens cardines premit, coeracet, firmos tenet: idem accidit ferri rubigini, si urinæ ad cœmenti consistentiam miscetur.

Noscitur tùm ex his præmissis tùm ex pathologia, quomodò causæ universales superiùs memoratæ humores incendunt, rarefaciant, acres reddant, aliæ solvendo textum ipsum sanguinis & mucilaginem, aliæ depauperando humores partibus balsamicis, aliæ demùm suppeditando sanguini partes acres, salinas undè frequentiores & validiores cordis & arteriarum contractiones, ac proindè vehementior humorum fluxus & rarefientia.

Causæ particulares seu topicæ in parte skirrhosa agunt, vel minuendo integumentorum

cohæſionem, vel debilitando vaſa, vel circulationem impediendo, vel diſſipando quidquid in tumore ſkirrhoſo tenuius, vel ſuppeditando partes acres, quæ cuneorum ad inſtar materiam agitent, dividant & ſolvant.

S Y M P T O M A T A.

1°. Dùm Skirrhus in Cancrum degenerat, adest dolor pungens, urens, lacinans plùs aut minùs ſæviens, juxtà plures aut pauciores ~~ſc~~ nervos irritatos, plùs minùsve tenſos, eroſos, quandòque etiam extenditur dolor ad claviculam utquè & ſcapulas propter nervorum contiguitatem.

2°. Intumefcit Cancer: variæ hinc & indè obſervantur eminentiæ aliæ aliis majores, nimirùm propter materiæ cancroſæ rareſcentiam, quæ in una minor, major in parte altera, & arteriarum pulſationem, quæ hîc validior, hîc debilior materiam agitât, ſuccutit, ad rareſcentiam impellit.

3°. Animadvertuntur excrescentiæ tuberoſæ, fungi, quæ etiam rarefactæ materiæ & ſucco nutritio corrupto, accumulato, expaſo natales debent.

4°. Apparent venæ lividæ, nigræ, majores ſolito, varicoſæ ob compreſſionem vaſorum ſanguiferorum & ſanguinis ſtagnationem; quò enim capaciора ſunt vaſa & ſanguis contentus

inertior, eò magis ad livorem & nigredinem verget liquor sanguineus : capacitas vasorum major quàm in statu naturali, oculis etiam percipitur major, quàm reverà est propter completionem vasorum, quæ idcirco ampliorem videntur adepta diametrum. Proveniunt varices ex distensione & expansione tunicarum vasorum, quæ sanguine infarctæ nodosos tumores efformant.

5°. Cutis est rubicunda, pellucida, tensa ob præpeditam sanguinis circulationem.

6°. Ex tumoris centro stillat tenue serum, seu limpha ob imminutam integumentorum cohæsiõnem, pororum dehiscentiã, quod Cancris jamjam ulcerandi non dubium indicium est.

7°. Observantur in parte tumoris eminentiori rimulæ & tandem rumpuntur integumenta, quia à rarefacta Cancris materia ultra modum tensa, crepaturam tandem pati coacta fuerint.

8°. Ruptis Cancris involucris, rumpitur & ipsissimum Cancris corpus ob eandem rationem.

9°. Sanies effluit hæterogenea, cruda, sævam exhalans mephitim, modò flavi, modò cineritii coloris, nunc lividi, nunc nigri, pro ut major, aut minor sanguinis mixtio cum saniosa Cancris materia. Ichorosus & hæterogeneus liquor proveniunt, ex eo quòd potentiæ requisitæ materiæ concoquendæ impares sint.

Materia cancroſa viſcida, tophacea, falſuginofa eſt; vaſa ſtimulis moleſtat: Sanguis etiam craſſus, falſuginofus vaſa minima difficile permeat, infarcit, mole diſtendit, ſtimulis irritat; limpha, aut lacteus & ſebaceus humor iſdem inficitur vitiis. Ut fluat pus laudabile requiritur, ut vaſa libera integra viventia poſſint vincere reſiſtentiam à vaſis ruptis, fluidis inertibus conflatis illatam, atterere, dividere hæc vaſa rupta & materies inertes in his contentas, quæ ex natura ſua dùm putreſcunt tali adjuta potentiâ ad homogeneous pus deducuntur. Canceri autem materia eſt rebellis & vaſorum & humorum vitalium debilis, vel nulla ferè in hanc efficacia, ut debitam materiæ concoctionem ſperare ſinat, undè nulla benignæ ſpes ſuppurationis aſſulget, quâ mortuum à viventibus ſeparetur; ſed excavabuntur hinc & inde oræ Canceri, quia vaſa libera compreſſiones & ingurgitationes lapſu temporis augendas à vicinis compreſſis & ingurgitatis continuo patiuntur, liquoresque contenti ſpiſſitudinem & novas labeſ concipiunt partibus vicinis ſucceſſivè tranſmittendas; undè nunquam cicatrix, nec Carnium legitimarum germinatio expectanda, ſed sæviet ac ſerpet magis ac magis tumor aſpectu & olfactu horridus, feret vicinis partibus inimicum ignem & interficiet ægrotantem.

10°. Incurvantur exteriùs integumenta, quia

non æquè sunt extensilia eorum vasa, ac ea, quæ subtùs inveniuntur. Prætereà quò magis tensa fuerunt à rarefcente materia, eò val diùs erosa & cæsa sese restituent & partes, quibus adhærent trahent secum.

11°. Sequuntur infomnia, convulsiones, virium prostratio, inappetentia, Febris lenta, marasmus, hæmorrhagiæ, lypothymia, olfactûs deperditio, glandularum axillarium, cervicalium, inguinalium, &c. intumescencia.

Infomnia doloris urentis, lancinantis sunt fidi comites; ab irritatione nervorum & dolore intolerabili convulsiones; ab infomniis & inappetentia virium prostratio, quia plùs deperditur quàm assumptis reparatur; à corruptis & depravatis succis digestivis inappetentia, à doloris vi ingenti, à continuo liquoris ichorosi fluxu & ciborum inappetentia marasmus, consumptio; à mistione saniosæ materiæ, viscidæ, acris, textum ipsum sanguinis & mucilaginem solventis, & nevro-limphatica vasa obstruentis, cum sanguine & limpha, Febris lenta: ab erosis & dilaceratis arteriis seu venis amplæ diametri, hæmorrhagiæ; ab hæmorrhagia, vel prostratis dolore, vigiliis, febre, viribus lypothymia; à continua irritatione, à corpusculis fætidis in membrana pituitaria facta corrugatur & quasi induratur ipsa membranula; undè neque ab assuetis neque ab insuetis corporibus odorantibus, nulla fiat passio.

12°. Deniquè aliquandò vermes in Cancro ulcerato luxuriant, quos esse potiùs diri morbi effectus, quàm causam, nemo non credit. Horum ova vel deglutita cum cibis & ad ulcus circulationis viâ devecta, vel in variis topicis contenta, calore & humiditate loci sibi propriis, quasi in utero quodam gestantur, excluduntur, emergunt, adolefcunt.

D I A G N O S I S.

Cancri mammarii sedes ut plurimùm sunt glandulæ milliares, sebaceæ, adiposæ, conglobatæ, & in intricatissimos acervos congestæ, lacteæ in prægnantibus aut nutrientibus, lymphaticæ in aliis, membranulæ adiposæ, sebaceæ, aliquandò cellulares musculis interjectæ, & rarò muscoli mammis subjacentes, nisi sæviente & grassante Cancri malitia tunc enim totam pererrat mammarum fabricam & partium vicinarum lapsu temporis ambitum. Quin imò quandòque erosa & depasta plevra cor & pulmones nudè oculis objiciunt nefandum visuris spectaculum; quoties igitur in hujusmodi partibus accidet præcessisse Skirrhum & supervenient dolores interpolatis vicibus pungentes, urentes, lacinantes, toties de præsentia Cancri minimè est dubitandum. Exindè deducuntur signa Cancri pathognomonica.

Ob oculos saltat an Cancer sit occultus, an

ulceratus, ac etiam sæpissimè an benignus, an malignus sit. Æger ipse de cæteris Medicum certiozem facit an incipiens, an confirmatus, an recens, an inveteratus, an causæ externæ, an internæ suam debeat originem, præsertim an à viru venereo procedat, an ab alio.

Distinguitur Cancer occultus à phlegmone ob majorem renitentiam, calorem minùs intensum, ruborem magis saturum & dolorem essentialiter urentem, pungentem, lancinantem, licèt non continuum, absquè vel cum minimo pulsationis sensu: Ab erysipelate, partis affectæ eminentiâ & renitentiâ, quæ majores, colore in Cancro livido, plumbeo, nigro; in erysipelate rubro-rosaceo: Prætereà sede, quæ semper est cutis in erysipelate, cutis ipsa aut partes molles ei subjectæ in Cancro. Ab abscessu per duritiem; à clavo per sedem, is enim epidermidem & membranas cucullares propriè afficit, Cancer cutem ipsam & partes molles ei subjectas; à carbunculo dolore & eminentiâ, carbunculus enim vix extat, color rutilus, Cancer eminet magis & livescens, aut nigrescens plerumque est; à dracunculo renitentiâ dolore intumescentiâ majoribus. A strumis colore, calore & renitentiâ; in strumis calor & color ad naturalem accedunt, renitentia quàm in Cancro minor: à tumoribus frigidis, dolore & calore, qui aut nulli sunt in tumoribus simpliciter lymphaticis, aut parvi sunt momenti, in

Cancro autem dolor insignis, calor non mediocris: Ab exostose per sedem. Ab aliis tumoribus non ulceratis facile dignoscetur Cancer, si calor, color, sedes, durties, renitentia, dolor, intumescencia cum calore, colore, sede, &c. aliorum tumorum æquâ lance pensitentur. Dignoscitur ulceratus Cancer à quibuslibet tumoribus ulceratis, exceptis gangræna sphacelo & carie per depascentiam; à gangræna, & sphacelo per doloris præsentiam, uti à carie à qua etiam dignoscitur per sedem; hæc quippè ossium, hic partium mollium morbus.

P R O G N O S I S.

Pessimæ indolis morbus pessimam habebit prognosim, nec unquam quis egregiè cordatus sibi tantum arroget ut faustum & felicem hujus securus & tutus præfagiat eventum. Cancer enim dirus & subdolanus est. Modò audax tollit lethiferum caput, nec ullis cedit remediis, quin imò iis exasperatur. Modò vanâ curationis spe deludens ægrotantem, tacitus & clandestinus serpit mox daturus progeniem vitiosioreni; ità ut Medicus & Æger per ignes suppositos cineri doloso incedant. Hæc de Cancro in genere dicta obiter sunt. Quoniam autem varii in variis Cancris sunt periculi, sævitiei & malignitatis gradus, ità pro eorum varietate prognosim variabimus.

Cancer confirmatus cæteris paribus periculofior est incipiente, ulceratus occulto, malignus benigno, inveteratus recenti, adhærens libero, interte nus vasis majoribus difficiliùs curatur, quàm Cancer ab eorum vicinia distans, productus à causa interna curatu difficilior, quàm à causa externa, multiplex quàm solitarius, in corpore malè constituto & senili ætate quàm in juvenili corpore & benè se habente. Demùm periculofissimus, qui pravâ humorum diathesi, vel hæreditariâ & viru quopiam fovetur.

Excipimus tamen Cancrum à viru venereo procedentem, quem multoties hydrargirofi feliciter debellatum fuisse docet experientia. Hoc excepto Cancer confirmatus ut potè nec resolubilis nec suppurabilis, nullâ nisi ferri viâ domari potest. Rariora sunt contrarii exempla quàm, quæ hanc veritatem frangant. Narratur apud Helmontium Cancros quoslibet à viro quodam fuisse sanatos pulvere indolente inferso & emplastro incarnante consolidatum ulcus. Sed additur pereunte remedii inventore, periisse simul inventum remedium.

Cancer occultus & recens minùs periculi habet. Tali Cancro laborantes ad summam quandòque senectam absquè ullo vitæ discrimine perveniunt.

Cancer inveteratus, dolore contumaciter lancinanti stipatus, novam in novas horas instar

Prothei induens formam, varios fungos & excreſcentias producens, materias fœtidas, cadaveroſas effundens, peſſimi moris eſt. Malitiam nimiam & indomabilem denotat. Ac proinde maligna hujus prognofis, ſivè tentetur operatio chirurgica, ſivè non.

Cancer à cauſa externa, in corpore juvenili, benignâ tum ſolidorum tum fluidorum indole donato, tardioribus ſpatiis dolorificus, recens, parùm fœtidus, & minùs fungoſus, in parte extirpabili ut mammâ præmiſſis præmittendis felici cum ſucceſſu extirpari poteſt.

Hæreditarius Cancer nullâ arte domatur, & ſi aliquotiès extirpatus per aliquantulum temporis intervallum evanuerit, multi alii deinde in pertinaciores & acerbiores cruciatus repullulabunt.

CURATIO.

Cum ſivè relinquatur Cancer extirpandus, ſivè extirpetur Cancer relinquendus, peſſimè rebus ægrotantis conſulatur, operæ pretium eſt enumerare caſus, in quibus admittenda operatio chirurgica, eoſque in quibus abjicienda. A Cancris mammarii circumſcriptis limitibus non deſlectam.

Hæreditarius Cancer, uti ex prognofi fatiſ patet, inſanabilis ſivè admiſſâ ſivè rejectâ operatione chirurgicâ. Ergò à ferro abſtinendum; Cancer, qui à viru quodam fovetur, excepto

Cancro venereo nullum remedium curationis admittit ideòque ferro non tangendus. Idem dicimus de Cancro qui pravæ humorum diathesi consociatur, nisi humores in meliùs emendentur, quòd multùm sanè temporis, magnum ex parte ægrotantis vitæ regimen, summam ex parte Medici sagacitatem, imò & felicitatem postulat.

Cancer, qui vas aliquod magnum viciniâ afficit, ni tollatur hæmorrhagiæ metus operandus non est. Cancer musculos thoracis & intercostales afficiens intactus est relinquendus.

Cancri maligni extirpatio ut potè in summum vitæ discrimen adducens ægrotantes, non suadetur.

In his casibus exulatura est operatio chirurgica, tùm propter metum, nè depravati humores plures alios Cancros inducant numero, magnitudine, malignitate & sede pejores, tùm propter metum, ne sectione partium vitæ necessariarum & hæmorrhagiâ, de medio tollantur ægrotantes qui aliter longiorem sanè traxissent vitam.

É contrario Cancer, qui nullâ ex jam memoratis labe inficitur felici cum successu præmissis præmittendis extirpari potest.

Duplex est modus, quo tolli possunt Cancri, cauterio scilicèt actuali vel potenciali & ferro. Cauterium actuale ab Hildano & Albucasio improbatur, quia vis ignis, qui exsiccan-

do agit, indurat magis ac magis cancrofam materiam, malignam reddit.

Cauterium potentiale priori Authori suspectus est. Escaroticis enim & corrosivis exasperantur carcinomatosa ulcera: superest ferri via, quam paucioribus difficultatibus obviam priori anteponeit.

Quotiès statutum est operationem fieri, hanc debent præcedere venæ sectiones plùs aut minùs juxtà vires, temperamentum Ægri, morbi symptomata repetitæ, cathartica ex mitiorum classe deprompta, nè sollicitato nimio solidorum motu humores æstuent, diluentia, refrigerantia, lactea, quæ humores fluxiliores reddant eorumque obtundant acrimoniam, enemata, emollientia, balnea; erigenda est prætereà ægrotantis mens futuræ curationis spe; multùm enim juvat animus in re mala bonus.

Ad operationem deindè juxtà artem deveniendum. Jacebit supinus Æger in lecto sublato retrorsùm brachio tumori vicino, tùm ut magis emineat tumor, tùm ut minùs periclitentur muscoli mammæ subjacentes. Apprehensâ filo per transversum trajecto vel Helvetii forcipe, quod mitiùs, vel manu lævâ, quod mitiùs & tutiùs mammâ, instrumento convenienti secatur Cancer à parte inferiori incipiendo, ut hæmorrhagia operationem non turbet; aufertur Cancer integer & quidquid Cancris naturam redolet: undequàque locus mammæ leviter com-

primitur, ut faciliùs evomant vasa sanguinem & humores contentos cancrôsæ materiæ affines forsan, & idèd noxios. Ligantur vasa majoris diametri arteriosa præsertim. Abstinentum ab acrioribus stipticis, sanguinem fortissimè coagulantibus & crudam vulneris superficiem irritantibus.

Ubi de extirpando minori Cancro nullibi cuti accreto sed undiquè libero agitur, factâ in cute incisione cruciali dissectis integumentis Cancer integer enucleando quasi eximitur, quæ methodus dùm sana sunt integumenta tutior est priori, cùm eam minùs valida suppuratio & promptior vulneris cicatrix sequatur.

Sin autem propter rationes jam memoratas eradicari Cancer nequeat, miserrimis Ægri rebus, quantum fieri potest est succurrendum & ad curationem palliativam velut ad anchoram superstitem confugiendum. Palliativa remedia ad duo capita reducimus ad externa nempe & interna cùm Cancer est ulceratus, interna tantùm dùm Cancer est occultus. Externa sunt balnea, quæ laxando sopiunt dolorem & sanguinem fluxiliorem reddunt, venæ sectiones singulis mensibus repetitæ, præsertim si menstrua deficient Virginem vel mulierem mensuris patiendis habilem: sin contrà quater, quinquies sexies in anno, pro ut urgebit necessitas, ut depleta vasa minùs tendantur liquidum contentum, faciliùs moveant, minùs comprimantur

Cancer

Cancer partesque vicinæ.

Topica oleosa nimis, pinguis, emplastrica, quæ insensibilem transpirationem impedirent procùl abjicienda.

Aquea, absorbentia, lenientia, mundantia, anodina, plumbata hîc locum habent; laudatur in Cancro ulcerato succus solani & sedi minoris ritè defecatus in mortario plumbeo agitato, addito anodino quodam atque etiam miscendo plumbi usti drachmam semissem cum quadruplo sacchari saturni: tepidus applicatur.

Conducunt etiam decoctiones validæ ranarum, Cancrorum fluviatilium vel marinorum, quibus fovetur affecta pars. Album rasis, cerusa sufficienti quantitate sirupi papaveris albi parata magni est usûs. Ex applicatione butyri recentis multùm solatii afferebatur nobilissimæ hujusce urbis Matronæ, mei Mecénatis matri, quæ Cancro mammario ulcerato e edebatur, cui majoris efficaciam gratiam addi possunt pulveres buffonum, ranarum, cancrorum, in tenuissimum pulverem redacti & laudani grana aliquot. Commendatur oleum ranarum per descensum; item balsamum chalybeatum. Maritatur etiam calx plumbi cum mercurio ex anaticis partibus, vel prædominium calce plumbi tenente, vel cum antihectico poterii pulverato ex anaticis partibus. Frustula carnis vitulinæ, pulli gallinacei junioris, columbarum calidiusculè applicata dolores sedant. Cooperitur Can-

cer laminâ plumbeâ hinc & indè perforatâ , ut non cohibeatur insensibilis transpiratio. Proderit etiam acetum vigecuplo aquæ dilutum tantillùm salis marini addendo , eo liquido tepido abluatur ulcus. Spiritus salis marini putredinem domans non mediocris erit auxilii , si eâ copiâ aquæ diluatur , quæ requiritur ut oculo admotus nullum ferè doloris sensum excitet. Varia quoque parantur ex hyosciami, cynoglossæ , solani, cicutæ , papaveris foliis aquæ infusis fomenta , additis sed minutâ dosi aceto & sale , oppii grana aliquot miscendo.

Caveatur nè strictiori vestimento compressum ulcus exasperetur. Poterit lana mollissima media inter Cancri fascia & vestes apponi. Poterunt hæc remedia & similia in usum vocari, identidem variando pro vario successu & ægrotantis fastidio , ut sopiantur dolores , frænentur sales acres , dometur humorum malignitas & absorbeantur serositates.

Quò ad interna remedia propinantur identidem purgantia mitiora , enemata emollientia ; victus debet esse tenuis simplex, fiat à multis carnibus abstinentia. Juscula carniùm , gelatinæ , orysæ cremores , ova recentia , ptisana quandòque diluens , lacticinia , narcotica ter, quater in die repetita sed minutâ dosi , auctâ paululùm sub vesperam & alia id genus. Abstinentium à cibis falsis, piperatis , conditis , crudis , quæ difficiliùs digesta , vel acrimoniâ suâ

nociva vicem causæ gerere possent. Poterunt etiam felici cum successu epotari aquæ minerales vitriolicæ stomachum non gravantes, diureticæ, sublaxantes; sed omnium remediorum optimum diæta lactea, si non nauseet stomachus ægrotantis: undè prudenter Vinterus admonet Cancro laborantes à diæta lactea, quæ aliis ultimum remedium est debere exordium sumere; hæc siquidem humores pacat, acrimoniam humorum obtundit, chylum laudabiliorem producit & sanguinem fluxiliorem, balsamicum magis & ideò substantiæ & marginibus Cancro alluendis aptiorem; undè concludimus.

*Ergò Cancro mammario ulcerato inextirpabili
pro omni alimento lac.*

F I N I S.

